

## Die Urkunden Karls des Großen, 269

Carolus divina favente clementia Romanorum imperator Francorumque rex et semper augustus omnibus tam futuris quam presentibus salutem et pacem in perpetuum. Ne ea, que aguntur in tempore, simul cum tempore labantur, poni solent in dictis testium et scripture memoria perhennari. Eapropter ad oblivionis confusionem evitandam universorum noticie cupimus declarari, quod cum Liudingerus dux Saxonie ducatum suum iure feudali teneret ab imperio nec hoc recognoscere curaret et tributum de suo ducatu a Cesare Augusto statutum, quod a predecessoribus suis consuetum fuit singulis annis predecessoribus nostris exhiberi, nobis dare contempneret et modis omnibus se imperio et nobis contumaciter per suam superbiam opponeret et se in preiudicium et gravamen imperi pro rege gereret et se regem Saxonie vocari precepisset, nos tandem huiusmodi suam superbiam et iniuriam dicto imperio et nobis ab ipso sepius illatam diutius sustinere et dissimulare nolentes invocato Frisonum orientalium et occidentalium auxilio, quos viros strenuos, agiles et mire audacie sicut quibusdam nobis referentibus esse intelleximus, quibus etiam idem dux multa inferebat gravamina, eo quod eosdem sue vellet subicere potestati; cum tamen se viriliter defendendo ei resisterent, maxime gavisus ex eo, quod auxilium eorum invocare dignabamur, nobis per nuncios suos sponderunt ac certos et securos nos reddiderunt, quod parati esse deberent in nostrum venire subsidium et quod ad obtinendum honorem imperii et nostrum suam vitam vellet exponere. Sicque iam dicti Frisones sine mora et dispendio se ad iniendum prelium contra dictum Liudingerum ducem et exercitus suos preparaverunt et termino statuto ad invadendum ipsum et terram suam prevenientes cum maxima multitudine Frisonum ducatum Saxonie in manu forti intrantes viriliter et crudeliter cum predicto Liudingero duce et suo exercitu dimicantes ipsum et suum exercitum iam dictum evicerunt et eum una cum melioribus sui ducatus ceperunt, quos funibus connexis nobis vinetos tradiderunt, qui de huiusmodi victoria nobis obtenta maxime exultantes cum gaudio ad propria remeaverunt. Item cum advene Romani mandatis nostris obedire contempnerent et quedam iura in preiudicium imperii et gravamen nostrum sibi usurparent et nos auxilium fidelium imperii ad resistendum eorum iniuriis et violenciis invocassemus et cum hoc Frisones predicti intellexissent, non vocati a nobis, de suo libero arbitrio et voluntate spontanea cum multitudine copiosa Frisonum in subsidium nostrum venerunt et cum exercitu nostro Romam perrexerunt, et cum urbi Romane appropinquare cepissent, mox ab exercitu nostro se separantes in Romanos, qui cum exercitu suo per suam superbiam exercitui nostro occurrerunt, potenti virtute in ipsos irruentes quam plurimis ex utraque parte interfectis eosdem evicerunt et per nobiles Romanos quos ceperant nobis Romam subiugaverunt. Nos itaque considerata eorum probitate et audacia, attendentes etiam fidele obsequium eorum, quod imperio et nobis exhibuerunt, de consueta regie maiestatis benignitate ipsis gratiam volentes facere specialem, de consilio nostrorum fidelium accedente consensu principum imperii tributum a Cesare Augusto eis statutum, videlicet XX libras auri, quas nobis et predecessoribus nostris singulis annis exhibere consueverant, remisimus, ita quod neque nos neque successores nostri illud ab ipsis vel eorum heredibus de cetero requiremus vel aliquas exactiones in ipsos faciemus. Et preterea auctoritate regia indulgimus eisdem, ut cum omni prole sua nata vel nascitura in perpetuum liberi permaneant et a servitute proprietaria penitus absoluti. Statuimus etiam, ne quis eis dominetur, nisi sit ex eorum bona voluntate seu consensu. Et ne tam iudicibus quam rectore carere videantur, statuimus, ut ex suis eligant consules, quotquot sibi viderint expedire, qui in causis secularibus, de quibus ipsis questio mota fuerit, iudices eorum existant. Statuimus

etiam, ut iidem consules singulis annis secundum consuetudinem Romanorum eligant personam ydoneam et discretam, sub cuius regimine, dominio et potestate Frisia tota sit constituta et subiecta, cui in omnibus et per omnia tamquam suo vero domino infra terminum sibi ab ipsis deputatum teneantur obedire, que persona potestas Frisie debet appellari. Item statuimus, ut, si quis ex ipsis substantiam habens militarem et militare voluerit, ut dictus potestas ipsi gladium suum circumcingat et dato eidem, sicut consuetudinis est, manu sua colapho sic militem faciat et eidem firmiter iniungendo precipiat, ut deinceps more militum regni Francie armatus incedat, eo quod consideravimus, si Frisones predicti militaverint, secundum corporis staturam et formam ipsis a deo precipue et natura datam cunctos in orbe terrarum milites sua fortitudine et audacia, dummodo, ut predictum est, sint armati, precellent et prevalebunt. Qui secutum sue militie a dicto potestate recipere debent, in quo corona imperialis in signum sue libertatis a nobis concessa debet esse depicta. Et statuimus, ut Frisones militare volentes quicumque eciam alii substantiam habentes sint usque ad summitatem aurium circumtonsi, si facere voluerint, ut per hoc etiam suam valeant ostendere libertatem ipsis, ut dictum est, a nobis esse collatam. Quod si quis hanc eorum libertatem aliquo ausu temerario infringere voluerit vel violare presumpserit, secundum sententiam, quam annuentibus principibus imperii tulimus, tam ipse quam sui coadiutores sint proscripti et a consortio fidelium imperii exclusi. Et precipimus auctoritate regia eosdem tamquam proscriptos et adversarios imperii ab omnibus evitari et si qui eisdem ad preliandum contra dictos Frisones astiterint vel adiutorium presterint, eandem penam et offensam imperii se noverint incurrisse. Et auctoritate premissa statuimus, quod, si eisdem aliquo casu contingente in ipsorum vita vel bonis aliquod dampnum a dictis Frisonibus vel ab aliquo alio fuerit illatum, nec successores ne tri nec alii iudices seculares ad alicuius instanciam ex hoc eisdem aliquam exhibeant iusticiam, cum potius tamquam proscripti imperii sint severius puniendi. Quam sententiam, sicut dictum est, a nobis latam auctoritate predicta precipimus et statuimus a successoribus nostris ratam haberi et firmam et stabilem in perpetuum observari. Et tenore presentium protestamur nos a sanctissimo patre nostro papa Gregorio obtinuisse, quod, si predicti Frisones de huiusmodi gravamine ipsis a prefatis malefactoribus illato querimoniam deposuerint, tam ipse dominus papa iam dictus quam sui successores ostenso ipsis sue libertatis privilegio presenti eosdem excommunicabunt et denunciari facient excommunicatos et nichilominus terram eorum, specialiter illorum, qui seculares habuerint dignitates, ponent sub interdicto; que sententia excommunicationis et interdicti nullatenus relaxari poterit nisi per mandatum summi pontificis speciale. Et ut hoc laudabile factum nostrum robur in perpetuum obtineat firmitatis nec a nobis nec a successoribus nostris seu a quoquam aliquatenus infringi possit vel in dubium revocari et ut etiam dicti Frisones nobis dilecti memorati tali in perpetuum gaudere possint privilegio, presentem paginam exinde conscribi et bulle nostre auree munimine in testimonium fecimus roborari. Huius igitur facti testes sunt: Wenceslaus rex Bohemie, Werinhardus dux Bawarie, Liuppoldus dux Moraviensis, Henricus dux Austrie, Otto dux Suevie, Conradus marchio Misnensis, Herboldus lantgravius de Thuringia et alii quam plures viri probi et honesti.

Actum et datum Lateranis anno dominice incarnationis DCCCII, indictione decima, anno regni nostri secundo.